Quelle: http://manuscripta.at/?ID=944
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

christiani imperatoris · attemptacio profana euacuata est. Itaque hec obhoc
precipue commemoranda credidi · ut tanto archano ineffabilium iudi
ciorum dei ex parte patefacto intelligant · hii qui insipienter utique de
temporibus christianis murmurant · unum deum disposuisse tempora · et
in principio babyloniis · et in fine romanis · illius clementie esse quod uiuimus ·
quod autem misere uiuimus · intemperantie nostre. Ecce similis babilonie
ortus et rome · similis potencia · similis magnitudo · similia tempora ·
similia bona · similia mala · tamen non similis exitus · similisue defectus · Illa enim
regnum amisit · hec retinet · illa interfectione regis orbata · hec incolomi
imperatore secura est. Et hoc quare · quoniam in rege libidinum turpitu
do punita · hic christiane religionis continentissima equitas seruata est.
Ibi absque religionis reuerentia · auiditatem uoluptatis licentia furo
ris impleuit · Hic et christiani fuere qui parcerent · et christiani propter quorum
memoriam et in quorum memoria parceretur. Quapropter desinant religio
nem lacerare · et lacessere pacientiam dei · propter quam habent uti et hoc quoque
inpunitum habeant · si aliquando desistant. Recolant sane mecum maiorum
suorum tempora · bellis inquietissima · sceleribus execrabilia · dissensionibus feda ·
miseriis continuatissima · que et merito possunt horrere quia fuerunt · et ne
cessario rogare debent ne sint. Mecum sane rogare solum deum · qui et
tunc occulta iusticia permisit ut fierent · et nunc aperta misericordia prestat ut non sint.
Que mox a me plenius ab ipso urbis exordio reuolutis per ordinem hystoriis
proferentur.

[illegible]

ANNO Post euersionem troie · cccc · xiiii · olimpiade autem sexta · que
quinto demum anno · iiii · in medio expletis apud elidem grecie ciui
tatem agone et ludis exerceri solet · urbs roma in italia romulo et re
mo geminis auctoribus condita est. Cuius regnum continuo romulus par
ricidio imbuit · paremque successu crudelitatis · sine mora raptas sabi
nas mulieres inprobis nuptiis confederatas · maritorum et parentum cruo
re dotauit · Itaque romulus interfecto primum auo numitore · dehinc
remo fratre · arripuit imperium · urbemque constituit · regnum aui · muros
fratris · templum soceri sanguine dedicauit · sceleratorum manum promissa in
punitate collegit. Primus illi campus ad bellum · forum urbis fuit · mixta
simul externa · ciuiliaque bella · numquam defutura significans · Sabinas
quas federe ludisque pellexerat feminas · tam inhoneste presumpsit · quam